



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 26. Matthæi Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

dere omnibus viribus conabantur, con-
 stanter rejecit. Ergo Ribaldus Anselmo
 Schismatico per electionem sufficitur; ^{Sæcul. XII. A.C. 1134.}
 Papa autem civitati Mediolanensi adem- ^{Bern. ep. 131.}
 ptam prius Dignitatem Metropolis red-
 didit. Porro cum S. Bernardus Medio-
 lani multos ad conversionem morum suo-
 rum permovisset, eorum numerus ad
 constituendam novam Ordinis sui Con-
 gregationem suffecit, atque anno sequen-
 te 1135. non procul ab urbe Monasterium
 conditum est, quod Claramvallem dixe-
 runt. Mediolano S. Abbas, jubente Pa-
 pa, Ticinum & Cremonam divertit, Res
 Longobardiæ compositurus; sed Cremo-
 nenses, prospera fortuna inflati, S. Viro
 aures præbere renuerunt.

ep. 134.

§. XXVI.

Matthæi Cardinalis extrema.

Matthæus Cardinalis Episcopus Alba-
 nensis Pisas reversus ex illius pro-
 fectionis labore ventris profluvium con-
 traxit; æstivum enim tempus erat, quo ^{Petr. Clun. II. mir. c. 17.}
 sol intolerabiliter ardens corpora adure-
 bat. Per menses quatuor & dimidium
 vi morbi reluctatus, nec lecto se tradi-
 dit, nec quidquam de officiis consuetis
 dimisit. In Curia Papali causis Ecclesia-
 sticis assidue vacabat, Officium Divinum
 & prolixam Cluniacensium Psalmodiam
 exacte persolvebat, singulis diebus pro

A a a 5 more

Sæcul. XII.
A.C. 1134.

more suo Sacris ad Altare faciebat. Ita cum infirmitate corporis sui a die decima quinta Julii usque ad primam Decembris conflictanti nemo persuadere poterat, ut sibi ipsi parceret. Sed tandem in prima Adventus Septimana, deficiente natura, in lectulo decumbere compulsus, & ultimum vitæ tempus imminere intelligens, convocatis qui ipsi ab obsequiis erant, monachis, eos suo nomine Abbati & præcipuis officiorum præpositis in monasterio Cluniacensi, inprimis autem carissimis filiis suis S. Martini de pratibus, salutem supremo dicere jussit. Confitebatur omnibus qui ad eum invisebant, & absolutionem petebat pro more Monastico, scilicet, ut pro remissione peccatorum suorum Deum orarent. Cum Viaticum acciperet, fidem suam de hoc Sacramento professus ait: *Confiteor, quod hoc Sacrum Salvatoris mei corpus vere & secundum essentiam illud sit, quod de Sancta Virgine assumpsit, quod pro Salute mundi crucifixum est, quod resurrexit & ad Cælum ascendit, quod venturum est judicare vivos & mortuos, cui incorporari, unum corpus cum ipso fieri, & vitam æternam acquirere spero. (*)* Ita obiit super

c. 20.

c. 22.

c. 23.

(*) Luculentum contra Protestantes testimonium, hanc de Reali præsentia Christi in Eucharistia,

cinerem & cilicium positus mane in Fe-
sto Natalis Domini, sepultusque est die Sæcul. XII.
A. C. 1134.
altera, postquam ipse Papa, præsentem fu-
nere, Missam solemnè ritu celebrasset.

§. XXVII.

S. Bernardi reditus.

Sancto Bernardo in Franciam per alpes vit. l. II. c. 5.
n. 28.
redeunte, pastores & armentarii de
summis rupibus descendentes, procul
adhuc stantes conclamando ejus Benedi-
ctionem poscebant, tum ad caulas suas
regredientes latabantur, quod manu su-
per se extensa optatæ Benedictionis gra-
tiam accepissent. Claramvallem perve-
niens mira devotione dilectus Pater ex-
cipitur, & quamvis lætitia in omnium
vultu, modestia tamen & gravitas Reli-
giosa in gestu relucebat. Nihil interim
perturbatum in sua Congregatione inve-
nit, nullæ querelæ audiendæ, nullæ rixæ
componendæ, nihil mali absente Abbate
Diabolus contexere potuit. Exinde qui
Bernardo a consiliis erant, scilicet ejus
Fratres germani & Geofridus Prior, post-
modum Episcopus Lingonensis, ei insi-
nuarunt, monasterium in quo consedis-
sent, esse angustum, & recipiendæ adve-
nientium ad conversionem multitudini
non

ristia, in Ecclesia universali omnium temporum
fidem fuisse.